

pore, quo rebus Hispaniæ turbatis, multi à debita Regi nostro fide defeiverant; quod scelus longissimè licet ab America abfuerit, huic in juratâ Philippo fide incredibilique erga ipsum amore confirmandæ Orationibus doctissimis institit. Porro, ut gregi suo quotquot posset modis provideret, non se durum ac difficilem in Dispensationibus exhibebat, atque urgente periculo animarum in mora, gravibusque datis momentis, pro ea qua erat in Theologicis rebus peritia, aut solitis à Sede Apostolica Facultatibus sibi traditis utebatur, aut Episkia bonèque Romani Pontificis præsumptâ in arduis negotijs voluntatè. Frequentissimè, nec minus erudite ac graviter quam ad auditorum profectum utiliter, nedum in Quadragesimis, sed per annum concionabatur, in hoc reliquisque pastoris muneribus quam diligentissimus. Tandem meritis & laboribus cum latus in pace quievit, postquam viginti & sex annos suam Ecclesiam optimis curis administraverat. Multa doctrinæ & pietatis monumenta reliquit, quorum indicem exhibemus sequentem. In primis edidit tommum vernaculo idioma: Orationes complexum 48 hoc titulo

*Orationes Evangelicæ*, Mexici, apud Hæredes Joannis Josephi de Guillenâ Carrasco 1721. in folio.

Ad calcem adjecit *Directorium*

*Spirituale*, jam pridem à se editum scorsim. Mexici, in Typographia Hæredum Viduæ Michaelis de Ribera 1717. in octavo.

Ex his quas in tomo mox laudato legimus Orationibus doctissimis quidem, aliquas etiam scorsim habemus editas, quas subjungimus, plures alias addentes, quas frustra in eo libro quæsiveris. Sunt autem omnes à nobis vise

*Oratio de S. Teresia à Jesu, Carmelitarum Maire nudipedum*. Mexici, typis de Carrasco 1703. in quarto.

*Oratio de S. Thoma Doctore Angelico*, Angelopoli, ex Officina Sebastiani de Guevara 1703. in quarto.

*Oratio in solemnitate S. Crucis de Huauclco* apud Antequerenses nominata. Mexici, è Domo Francisci de Ribera Calderon 1703. in quarto.

*Oratio de Proto-Parente Divo Petro cum gratiarum actione pro Philippo V. salute*. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1706. in quarto.

*Oratio habita in Antequerensium Sanctuario, à Solitudine dicto, die SS. AA. Philippo & Jacobo sacra in Regis obsequium*. Mexici, formis de Carrasco 1707. in quarto.

*Oratio habita in nativitate Ludovici I. Hispaniarum Principis*. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1708. in quarto.

*Studia in Deum, & Regem septem*

*tem. quæstia orationibus Evangelicis*. Angelopoli, Prælo Didaci Fernandez de Leon 1709. in quarto.

*Oratio Evangelica de S. Francisco Xaverio*, Martiri ex Typographia Didaci Martinez Abbad 1711. in quarto.

*Exhortatio ad Reformatas Antequerenses Virgines Augustinianas*. Angelopoli, ex Officina Michaelis de Ortega & Bonilla 1713. in quarto.

*Oratio Evangelica habita in actione gratiarum pro victoria à Philippo V. relata apud Virnegam*. Mexici ex Typographia Hæredis V. Michaelis de Ribera 1715. in quarto.

*Oratio habita Mexici in funere sollemnissimè instaurato D. D. Mariæ Aloysiæ de Sabaudia, Hispaniarum Regina*. Extat edita in libro cui titulus *Luctus Flora* à P. Luca del Rincon Societatis JESU concinnato. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1715. in quarto.

*Oratio Evangelica, dicta in gratiarum actione pro Philippi V. felicitate*. Ibidem 1716. in quarto.

*Oratio Evangelica de magno Parente & Patriarcha S. Dominico de Guzman*. Mexici, apud Hæredes Lupercij 1716. in quarto.

*Oratio Evangelica de Seraphico Parente S. Francisco*. Mexici, Typis Viduæ Michaelis de Ribera 1716. in quarto.

*Oratio Evangelica in Festo SS. V. Mariæ de Mercede*. Mexici, apud Hæredes Viduæ Francisci Lupercio 1718. in quarto.

*Testimonium ad Regem Mexicanum Senatium probandi ergo aquè in Ecclesia Antequerensium auctas fuisse Præbendas quatuor*. Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1720. in folio.

*Epistola brevis hispana, latina longior ad Philippum V. Regem Catholicum data, ubi Noster Michoacanenses insulas recusavit*. Mexici 1726. in folio, tacito Typographi nomine. Extat tom. 5. Collect. D. Ludovici de Mendoza.

*Oratio Evangelica de Magno Ecclesie Doctore S. Augustino habita apud Recollectas ejusdem Sanctimonialis Antequerenses*. Mexici, ex Officina H. F. Lupercio 1726. in quarto.

*Exhortatio Catholica: ad Indos Goaxacenses*. Mexici, apud Carrasco 1708. in octavo.

218 FR. ANGELUS SERRA, Natione Mexicanus, ortus apud Michoacanenses, Provinciæ Franciscanorum ejusdem Regni à SS. AA. Petro & Paulo nomen sortitæ Alumnus, quondamque, ut dicitur, Custos, Parochusque canonico titulo Pagi de Charapan primùm, mox inelytæ Urbis Queretarensis institutus, Tarascanorum idioma Magister peritissimus, communisque boni sollicitus, pro juvenis Indis Michoacanensibus ea lingua utentibus, atque eorum Parochus, edidit

*Manuale pro ministrandis Sanctis Sacramentis hominibus Hispanis & Indis trilingue, scilicet, Latino, Hispano, & Tarasco idiomatibus*. Mexici,

xici, typis D. Mariæ de Ribera 1697. in quarto.

Porro huic operi utilissimum aliud subjunxit à fol. 107. ad finem tomi complectens hispano & tarasco idiomate

*Catechismum brevem, quondam à P. Bartholomeo Castaño, hispanice editum. Item*

*Methodum quadruplicem, Tarascanum & Hispanum pro excipien- dis Confessionibus sacris.*

Paratum habebat geminum opus aliud, quod an typis dedit, nescimus,

*Artem pro imbibendo Tarascorum idiomate.*

*Dictionarium ejusdem idiomatis.*

Pro ut testatur Fr. Joannes de Avila, S. Officij Censor, & Provincia S. Evangelij Pater in Approbatione libri à nobis indicati,

219 D. ANNA MARIA A LATERE CHRISTI, Natione Mexicana, Patria Tlascalensis anno 1650. vel circiter nata, indeque Mexicum advecta, atque habitum induta Tertij Ordinis S. Francisci, eximia virtutis nomine ad mortem usque floruit quam operijt 5 Novembris 1710. Admodum R. P. Fr. Joannes de Luzuriaga, Lector Emeritus, Cónonator Apostolicus, è Provincia Cantabriz, Commissarius Generalis omnium quæ in America nostra vigent Franciscani Instituti, vir multis præditus litteris & virtutibus, Directorem se præstitit & duces Nostræ in spiritus via, tot inter muneris am-

plissimi turbas negotiorum ei audiendæ tempora opportunè reservans, à quo & ejus Acta plurima conscripta fuisse testes nobis gravissimi fidem jam dia fecere. Quod verò librum ad manus habere non licuerit optantibus, nihil præterea de insigni referre Muliere valemus, nisi quod ab eisdem accepimus testibus, attinet que ad scripta, quæ proprio caractere ipsa reliquit, consignavit que R. admodum P. Commissario Generali S. Francisci, qui has moderabatur Provincias eo tempore quo ipsa è vivis exivit. Erat autem huic intentus muneri R. P. Fr. Joannes à Cruce, cui illi ipsi qui nobis horum fuerunt Authores, universos Codices statim ab Annæ obitu tradiderunt. E multis, quæ in tot chartarum mole, argumentis memoria illi tenebant, hæc nostræ succurrunt.

*Vita morsque Jesu-Christi Domini nostri.*

*Vita immaculate Virginis Dei- parentis.*

*Vita Præcursoris Sancti Joannis Baptistæ.*

*Vita Seraphici P. S. Francisci.*

*Vita inclite Virginis Sanctæ Clare.*

*Vita Subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti.*

Alia præterea multa, quæ si Biblioepi operâ consulerentur tomos supra viginti quinque in folio conficerent, quoniam varietati argumentorum & multitudi- ni accelerant Gortica: quæ utre-

barur, litteræ. Ubi autem isthæc delitescant nescimus, relinquentes Sodalibus Franciscanis illa disquirete in Tabularijs suis, orium pro eo nobis opere multa quæ nos sollicitant non faciente.

220 D. ANNA MARIA GONZALEZ ET ZUÑIGA, Natione Mexicanensis, Mexici nata, honesto que conjugii juncta, ex quo & filium Sacerdotio initiatum, & filiam suscepit Virginibus Capucinis adscriptam, censi ipsa meruit inter Parnasi indigenas, bonis instructa litteris, evolventis ædita eruditorum libris, numineque felici ditata, quo astante multa facili negotio carmina frequenter scribit, non ex artis duntaxat præscripto normaque tornata, sed acumine etiam & eruditione pro rebus idonea, opportunè belleque prædita. Hinc pluris habita à Doctissimis viris primarios inter Poetas comparuit in gravioribus Theatris, quæ Mexici trigesimo retro ab hinc anno, plaudentibus Musis ipsaque gestiente Minerva, nec Apolline invito, suavissimis cantibus insonuere. Nam & in poetica Concertatione, quam Regia Universitas Mexicana indixit pro Ludovici I. Catholici Hispaniarum Regis inauguratione, lauream Anna reportavit promeritam; & in Palæstra Musarum cultoribus à Collegio Majori Mexico apud Carmelitarum Templum oblata plaudendi ergo S. Joannis à Cruce Apoteosim, haud sine laude in-

terfuit & præmio; ac rursus Mexicanâ Academiâ Vates publicis evocante cœnatoribus Ferdinandi VI. Catholici Regis nostri fausta qui pro communibus votis canerent & avibus dextris omninarentur; Poetria nostra gravibus audiendam se numeris dedit, plausibus iterum redimita; ut legere est in libris argumenta, quorum meminimus, ab ovo narrantibus, in primo quidem cui titulus *Litteræ laureatæ* pag. 180. in altero qui *Secunda quintadecima Januarij Mexicea* habet, pag. 664. & in tertio *Colosi eloquentis* nomine insigni pag. 99. in quibus Poetria numeris nostræ habentur. Edidit præterea amoenissima opuscula sequentibus titulis prænotata.

*Floridus ramus ab Imperiali Mexicea Civitate SS. Mariæ Guadalupe in ejusdem ludis spectaculis que solutus.* Mexici typis D. Mariæ de Ribera 1748. in quarto.

*Exsiccatæ Melpomene lachrymæ in solemnî Ferdinandi VI. proclamatione.* Mexici eisdem formis 1750.

*Suscitatæ pulchræ Caliope gloriæ in publicis spectaculis habitis Mexici pro Ferdinandi VI. inauguratione.* Mexici, in eadem Officina, sed tacita.

221 D. ANTONIUS DE ALCALA ET MENDIOLA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Sacerdotioque insignis, in Mathematicis disciplinis doctissimus, supputandis Monialium, quæ Episcopo Dececesis substantium

nium reddituum numeris destinatus, annis quinque supra triginta Diaria pro Ecclesiasticis persolvendis Officijs edidit, varias que tabulas pro anni tempestatibus aliisque conjectandis ex arte tradidit; graviora ad Mathematicas spectantia relinquens Mss, que ejus signatim argumenti fuerint, prætermisit diligens cæterequin Scriptor D. Didacus Bermudez de Castro, in Syllabo Angelopolitanorum scriptis illustratum ad nos dato.

222 D. ANTONIUS DE ALDERETE, Natione Mexicanus, cujus patria nos fugit, in Academia nostra Sacræ Theologiæ infulam Doctoris adeptus, Sacerdotio, quem Canonicatum dicimus, in Ecclesia Guadalaxarenfi Novæ Regni Galliciæ capite, aliquando potitus, pro Mexicano ad Concones habendas destinato in Palestra Sapientum concertaturus aderat, cum Illustris Clericorū sub Protoparentis Divi Petri nomine militantium Congregatio nuper defuncto Goatemalæ Episcopo, qui eos inter censebatur, viro clarissimo Doctore D. Bartholomæo Gonzalez Soltero, Mexicano, quondamque Apostolico Fidei in hacce Hispania Nova Questitore, ut iusta persolveret præsentibus S. Inquisitionis Proce-ribus; injunxit Nostro ut Funerem laudationem intexeret, atque è sacro suggestu diceret, quam etiam edidit hispano sermone, atque ita habet

*Concio habita in exequijs ab Illmâ. Congregatione S. Petri Mexicana coram S. Inquisitionis Tribunali peractis, pijs manibus Illmi. D. D. Bartholomæi Gonzalez Soltero Goatemalensi Episcopi. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1650. in quarto.*

Noster in Ecclesiam suam Guadalaxarensis reverens, auctusque Dignitatibus, primam tandem post pontificalem adeptus fuit, ibidemque non inglorius supremam diem egit anno 1678. mense, ut videtur, Januarij, cujus memoriam habet Robles in Diario fol. 106. col. 2.

223 F. ANTONIUS ALEXOS, Natione Mexicanus, apud Chalciguites, Coloniam à fossili argento celebrem, ortus, Franciscanis de Observantia dictis in Provincia Zacatecanorum religiosâ professione sociatus, à Philosophiæ & Theologiæ Cathedris, quibus regendis, quindecim annos posuit, Lector Emeritus, dein Minister Provincialis anno 1613, solennibus Comitijs destinatus, eo defunctus strenuus fuit muncere. Scripsit,

*Philosophiæ Cursum ad Scoti mentem, & Theologiæ Tractatus varios.*

Præterea tomum 300. folijs, hispano sermone, constantem, cui titulum dedit:

*Homilia in Evangelia totius anni.*

Argumenta porrò ejus multa variaque esse, cum ad Cœlites elo-gijs colendis multis, tum ad for-

man

mandos motes, testis nobis est R. admodum P. Fr. Josephus Arlegui, in Cathalogo Scriptorum Provinciæ suæ, nobiscum communicato, à quo etiam accepimus, asservari librum in Cœnobio Franciscanorum ad Villam à Dei nomine nuncupatam.

224 D. ANTONIUS ALVAREZ, Natione Mexicanus, cujus nos Patria latet, Præbyter à virtute comendatus & litteris, Philosophicis Theologicisque satis excultus, atque Academicis laureis redimitus, primum in Collegio Divi Pauli & Purissimæ Conceptionis Metropolitane Ecclesiæ Mexicanensis Cathedram Philosophiæ publicè rexit, dein Parochijs Curio datus varijs, singulas accuratè quidem administravit, & postremò de Maninalteango dictam, in qua præmaturâ morte obiit. Scripsit

*Philosophiæ Cursum, Summulis, Logica, Physica, Metaphysica, cæterisque Tractatibus Aristotelicorum usu constantem.* Extat Mss in Discipulorum serinijs.

225 F. ANTONIUS AB ANUNCIATIONE, Natione Hispanus, Patria Cordubensis, Domicilio Mexicanus, Excalceatorum Carmelitarum Institutum in Cœnobio patrio Provinciæ Beticæ à S. Joanne Baptista nuncupatæ professus, dein Nostris adscriptus, eum reformatæ, quam colebat, vitæ virtutibus, litteris tum etiam effloruit, Prælaturasque gessit insignes: asperrimum unâque am-

plissimum Mexicanæ Provinciæ Desertum Vicarij nomine moderatus, & Angelopolitano Conventui præfectus Prior, forèque alijs clarus muneribus, quæ nos fugiunt. Reliquit Mss idioma hispano

*Descriptionem historicam S. Mexicanæ Provinciæ Deserti, in quarto, cujus exemplar transcriptum anno 1703. vidimus, in Bibliotheca Collegij Cuyoacanensis, seu S. Angeli Carmelitanorum.*

*Devotionarium pro gerendis in vitâ horaque mortis.* Mss in octavo. Extat ad S. Angeli.

Authoris & operis primi meminit Doctor Gomez de la Parra in Historia primi seculi Teresianarum Angelopoli florentium pag. 3.

226 P. ANTONIUS ARIAS, Natione Hispanus, Mexicanus Domicilio, Societatis JESU Labaro nomen dedit, sub quo optimè meritis quatuor se Deo votis mancipavit. Egregium ejus paucis elogium verbis contexit vir incomparabilis P. Antonius Nuñez de Miranda, ejusdem Instituti lumen clarissimum, quod nostras infra multas illustrabit paginas. Is scilicet Doctor clarissimus Sanctimonialibus, quarum in cœlestia dirigebar spiritus, dono dedit à Nostro compositum librum pro religiosâ Virgine instruendâ, cui proprio Nuñez caractere & subscriptione solita Authoris noticiam præfixit, testatus fuisse primum Sacrorum Biblio-

rum

rum Interpretem, qui divinas e Cathedra litteras in Collegio SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo totaque Provinciâ Societatis JESU Novâ Hispaniâ tradiderit: Doctissimum plenius bucis appellat, & admodum sanctum, atque Purissimâ Deiparenti Virgini additissimum, quæ se illi multoties dederit conspiciendam, signatim que aliquando vernantibus rosis redimitam. Ad hæc, P. Florentia in Menologio Provinciæ Novæ Hispaniæ 10. Junij ijs suffragatur, restatus, quidquid illi temporis superesset, totosque feriatos ab Scholæ laboribus dies orationi tradidisse in loco à strepitu longe sejuncto. Ter singulis annis pedes adibat Sanctuarium 9. à Mexico miliaribus distitum, ab insigni miraculis icone Deiparentis Virginis de Remedijs nuncupatum, à qua postremò inibi salutata pretiosam in conspectu Domini mortem obrinuit, domesticis unâ & exteris lachrymabilem, quod ante 40. ætatis annos evenerit, hominemque egregie pium ac doctum substulerit. Præfectum egerat Congregationis Anunciata, id temporis florentissimâ, non discipulis tantum, sed Præbyteris etiam & Magistris doctissimis, ut in loco dicemus, quæ propterea Parenti suo & Duci amantissimo justa solenni apparatu persolvit Oratione funebri latinè habitâ à M. Damiano Gonzalez de Cueto, quæ edita fuit Mexici apud Henricum Marti-

nez eodem anno 1603. Aequalis fuit V. Gregorij Lupezij apud Oppidum S. Fidei florentis, quem convenire sæpe solebat, & de difficultioribus sacrorum Bibliorum controversijs consulere, ut testis est D. D. Joannes Diaz de Arce in Quæstionario expositivo lib. 4. quæst. 103. fol. 234. col. 4. colligiturque ex allatis à P. Francisco Losa in Vita Gregorij cap. 12. pag. 54. editionis Madritanæ 1727. Noster, cum multis ad animarum lucra spectantibus pro suo dedito instituto esset, ut ex Libro mox laudato ejusque Introductione sit palam, tum etiam inspiratis à Deo litteris enucleandis optimè insudavit ex munere, postquam Philosophicas enucleatissimè etiam tradiderat, ut ex operibus quæ supersunt ab ipso elucubratis satis apparet. Sunt autem quæ vestigantibus occurrere nobis sequentia.

*Illustris explanatio Commentariorum P. D. F. Toletii de Physicâ auscultatione.* In hoc opere multo donata splendore exhibet egregia ab eruditissimo Cardinali in Aristotelis libros Physicorum edita Commentaria pro Philosophiæ cultoribus utilissima.

*De Generatione & Corruptione.*

*Tractatus de Sphæra Mundi, tum ex veterum Astronomorum, tum ex Recentionum doctrinâ & Observatione collectus.*

*In libros Aristotelis de Cælo Scholia & præcipua Quæstiones.*

*Brevis summa de rebus Metheorologicis, in quarto.*

Ex-

Extant hæcenus recensita Mss in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Mexicanensis. Tractatus verò de Sphæra invenitur etiam apud Carmelitanam S. Angeli.

His annectimus tomos in octavo tres eodem idiomate, quorum primus est,

*Expositio in Cantica.*

*Secundus: De originali Lingua.*

*Tertius: De instructione Sacerdotis.*

Habentur Mss in Bibliothecâ Collegij Societatis JESU apud Tepozotlan. Idiomate autem hispano opus reliquit, quod hoc titulo prænotatur.

*Apologia pro Christianâ veritate contra præsentium temporum Judæos duabus divisa partibus, quarum in prima ostenditur, Christum Jesum verum esse Messiam, in secunda objectionibus in contrarium responderi.* Extat Mss in quarto ad SS. AA. Petri & Pauli.

Eadem usus Hispanâ Linguâ conscripsit doctissimas

*Epistolas*

Ad Magistrum Fr. Antonium à Delgadillo datas de rebus Bibliicis, quas se legisse testatum reliquit citatus supra D. D. Diaz de Arce dicta quæst. 103.

Eodem hispano sermone librum condidit pro sorore sua in Hispaniâ degente, & religiosam vitam professâ, in spiritu instruendâ, cui titulum dedit

*Perfecta Sanctimonialis, in caput 31. Proverbiorum.* Atque in hoc libro ipse Author meminisse alterius

Rr

à se ejusdem capituli Commentarij e cathedra dicti, quod hæcenus nos fugit, ut & alia, quæ non ambigimus scripsisse. Hunc quem ultimo nominavimus loco librum habuimus, ex instructissima Bibliotheca Doctoris & Magistri D. Josephi de Elizalde, nostri in Metropolitana Ecclesia Sodalis.

† 227 P. ANTONIUS DE ARIAS, Natione Mexicanus, & forsitan Patria, JESU Societatis alumnus, & quatuor vororum nuncupatione Professor, litteris claruit & virtutibus, quas docendo, concionando, cæteraque Apostolici ministeria Instituti peragendo, strenuè exercuisse nominis ejus delata ad nos fama testatur, cujus etiam ingenij monumenta invenimus in Bibliothecâ Collegij Maximi Mexicani in libris Mss Opuscula complectentibus quæ singulis annis à Rhetoricæ Professoribus elucubrantur pro Natalitiâ Assertoris Nostri die celebranda, inter quæ ad annum 1685 transcribitur à Nostro laborata

*Concertatio Poetica in nascentis Jesu laudem.*

Meminimus ad hæc vidisse quadraginta retrò ab hinc annis apud Regale S. Ildefonsi Collegium Mexiceum multo cum fructu diurna noturnaque manus versari à Doctore & Magistro D. Joanne Jordan & Valle

*Compendium Scholastica Theologia, in quarto,*

Quod à Nostro pro suo quondam

dam

dam usu compositum fuisse ille enarravit.

228 F. ANTONIUS DE ARCHENA, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, & Goatemalenſis Patria, Ordinem S. Franciſci in Provincia SS. Nominis JESU profeſſus, Scholaſticis diu multum que Paſtris incumbens, Philoſophiã Sodalibus tyronibus & Theologiã è ſuggeſtu tradidit Lector Emeritus renunciatus eſt. Ad hæc, in Regiã & Pontificia, quæ Goatemala viget, inſigni Academia Doctõr inauguratus, multa præterea varia pollet eruditione. Ejus diligentia debemus & cura multorum notiam Scriptorum Provincia ſuã, gratesque ſubinde neutiquam ſilentio premeſſas. Quod vero ſe non Authoribus, quorum textus Indicem, inferuerit, modèſtiã viri damus, ægè cetera ſuſtinentes, opera a ſe elucubrata tacita præteriiſſe. Porro, nobiſcum communicarum Catalogum memoratum, opera admodum R. P. Fr. Marci Linares, Provincia id temporis capitis, cui itidem nos ſaremur adſtrictos, inter ſcripta merito duximus reponendum, quod non Indicem duntaxat operum præferat & nominum, ſed Authorum quoque geſta non nulla exponat, omniaque ex ordine, in tres diſtribuit claſſibus Scriptõribus, pro ut Indorum, Hispanorum, & Romanorum linguis ſunt uſi. Titulus vero opuſculi apud nos ſtantis idioma hispano, latine ſic habet

*Narratio de præcipuis Provincia SS. Nominis Jeſu Goatemalenſis Regularis Obſervantia N. S. P. S. Franciſci Scriptõribus, &c.* in folio. + 229 D. ANTONIUS DE ARTEAGA, Natione Mexicanus & Patria, clara natus ſtirpe, fratres, habuit Sacerdotio conſpicuos & moribus, alterum S. Auguſtini Inſtitutum Heremitarum profeſſum; alterum natu majorem Præbyterum ſeculare Blaſum nomine, de quo infra dicemus. Noſter & ipſe Præbyter admodum religioſus, & Chriſtianis atque Eccleſiaſtico viro, dignis moribus clarus, in Seminario S. Pauli & Puriffimæ Conceptionis Collegio Grammaticam docuit, pro que ſua commiſſis Pueris inſtitutioni edidit

*Explicationem generis Nominum & Verbi præteritorum, &c.* Mexici, apud H. V. Michaelis de Ribera 1716. in octavo.

230 FR. ANTONIUS AB ASCENSIONE, Natione Hispanus, Patria Salmanticensis, ubi Comographiæ operam dedit, Mexici apud PP. Carmelitas Excalceatos habitu Deparentis aſſumpto, & emiſſa proſeliſione, magna ex inde virtute floruit & ſcientiã potiebatur, id temporis rerum Mexicanorum, nomine Philippi III. Catholici Hiſpaniarum Regis D. Gaſpar de Zuniga & Acebedo, Comes de Monte-Rey 5. Novembris 1597. Mexici inauguratus; cumque multa, Regiſtratione, expeditiſſime moliretur, qua

erat Chriſtianiã virtute conſpicuus pro Indis juvandiſ, & amplificandã Fide Catholica; alias inter arduas, quas feliciter auſpicatus fuerat expeditiones, maritimã inſtitit ad detegendas Inſulas Californias, quatuor navibus, ducentiſque in eis militibus & nautis, Duce clariffimo viro Sebaſtiano Viſcaino. His noſtram adjungi voluit cum alijs ejuſdem inſtituti Socijs duobus, ut qua eminebat in geographicis rebus peritiã, mari, terraque Coſmographi munere fungeretur, cunctaque ignota tunc ulque accuratè deſcriberet. Nec falſus Pro-Rex fuit, aut ſegniffimam in officio ſuo Noſter, qui exactiſſimam & itineris & Inſularem Deſcriptionem, confecit, quam D. Nicolaus Antonius hoc hiſpano in ſua Bibliotheca nova propoſuit titulo tom. 1. pag. 76. *Iter pro nova terrarum aperiſione inſtitutum in Nova Hiſpania è Partu de Acapulco per pacificum mare in extremum Mendocinum anno 1602 Claſem ducente Sebaſtiano Viſcaino.* Teſtatur Mſſ. fuiſſe in Bibliotheca clariffimi viri D. Laurentij Ramirez de Prado: Vidimus nos quoque exemplar ejuſdem in libro Mſſ. cui titulus, *Lumen pro terra ignota*, cap. 23. à D. Joanne Mango compoſito, qui extat in Bibliotheca Indi in paucis inſignis D. Patricij Lopez, de quo ſuo loco multa trademus. Authographum hujusce operis Mangeſiani penes tabularium ſuum eſſe teſtatur eques Laurentius Borurini in

Catalogo Muſei Hiſtorici Indici ſui pag. 22. n. 3. Noſtri Deſcriptionem, licet partem impugnet, laudat D. Andreas Medina Davila in opuſculo argumentum id concernente, qui legitur in eodem Mangeſiano libro capp. 22. & 24. Meminit etiam Noſtri & operis P. Martialis à S. Joanne Baptiſta in Bibliothecã Carmelitarum Excalceatorum pap. 37. n. 38. Item Leon Pinco in Epitome Bibliothecæ Indicæ col. 611. Editionis Madritanæ noviffimæ: Et Authõr. Hiſtoricæ Reformationis Carmelitanæ tom. 6. p. 389. 231 FR. ANTONIUS AB ASCENSIONE, Natione Hispanus, Hiſpali ortus, & à primis annis in Mathematicis eruditus in Collegio pro Nautarum inſtitutione ibi conſtructo, tandem Magiſter, in illis diſciplinis inſignis eſt habitus. Ad Americam noſtram non ſine ingenti labore & multo diſcrimine advectus, tutiſſimum ſibi Portum elegit Carmelitarum Nudipedum Ordinem, quem amplexatus fuit in Conventu S. Sebaſtiani, Mexico, in quo ſolentem anno 1602. profeſſionem, emiſſit. Bibliothecæ Author mox citatus Carmelitanæ, ubi iſthæc refert n. 39. pag. 37. ſubjungit, Noſtrum Martyrij cupidum in Californias Inſulas, navigantem adverſa plurima ſubſtituiſſe. Scilicet, ut facilis eſt conjectura, ſtatim ab nuncupatiſ, votis deſtinatus aperiendis illis regionibus fuit, datusque Socius alteri, quem di-

ximus, Antonio etiam ab Ascensione, quo cum eo ipso anno classem petiit. Nam duos ejusdem Cognominis fuisse Carmelitas Antonios Mexicani alumnos per id tempus Cenobij, argumento est diversas eis Patrias constitui, Scriptaque distincta, quamvis non multum imparia, imò in idem propositum ex parte collimantia. Siquidem inter opuscula Nostri eminere dicuntur, quæ Cosmographiam attinent. Omnia autem esse Author ipse inquit

*Varia eruditionis duodecim volumina,*

Quæ asservantur in Conventu Angelopolitano, in quo Noster ætatis suæ anno 63. cumulus meritis terras deseruit, in cœlum, ut pie esse credere, perventurus.

232 P. ANTONIUS DE ASTAIN, Natione Mexicanus, Patria nobis incerta, Societatis JESU quatuor Deo votis nuncupatis professus, vir fuit clarissimus. Postquam in Maximo Collegio Mexicano Philosophiæ Cursum & Sodalibus & exteris tradidit egregiâ cum laude, mancipatus Apostolicis ministerijs ætatem ad mortem usque gloriose duxit. In concionando assiduus, & accerrimus erat in vitiorum objurgatione, luxum multis impercens feminarum in vestitu, eas ut ad honestatis normam revocaret atque decentiam. Confessiones sacras domi & extra diu noctuque excipiebat nullis præditus incom-

moditatibus & laboribus. Extremo afficiendus supplicio egregiâ charitate comitabatur, nullum non movens lapidem ut ad fecerum eos contritionem cetera que christiana permoveret officia, quibus in cœlum deducerentur. Sodalitati Bonæ mortis in Ecclesia Mexicea Domus Professæ, procurante Excmò. Duce de Linares Pro-Rege Novæ Hispaniæ, excitatæ, Præfectus datus fuit unâ cū Socio P. Nicolao Zamudio, cui meritis in suum locum laudes ferreamus. Sodales ferventibus ad omnem virtutem exhortationibus è sacro suggestu singulis hebdomadis alternatim cum Socio incendebat. Consultationibus in arduis conscientiæ negotijs frequentabatur, queis, ut erat in omni Theologia doctissimus, accurata responsa dabat. Apud Sacrum Inquisitionis Tribunal Censores inter adscriptus Theologos maximi est habitus. Denique his alijsque pijs operibus ex instituto deditus, felicem, quam toties docuerat operiri mortem, apexit, immortalis nominis sui gloriâ relicta. Scripsit

*Aristotelica Cursum Philosophiæ, Cujus exemplaria non ambigimus fuisse multa pro discipulorum numero, è quorum manibus ad alios transferunt.*  
*Conciones item & panegyricas & morales plures.*

Quas ut composuisse certum, ita incertum nobis ubi servantur.

233 M. FR. ANTONIUS DE

AYALA

AYALA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Heremitarum S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicea alumnus, à teneris annis quòd suxit à parente religiosissimâ juxtâ & doctissimâ litterarum & virtutum lac, uberiori multis & cumulatijs filijs impendit Pater ipse multorum factus. Nam eximiâ cruditis doctrinâ Cathedras Philosophiæ moderatus est & Theologiæ, Primariam quoque, in Regali Divi Pauli Mexicano Collegio, cui postmodum Rector datus & studiorum Regens multum profuit, non in religiosis tantum rebus & scholasticis, sed verò etiam in æconomicis, quas omnes curavit, Aulamque in primis majorem, seu Palæstram pro concertationibus publicis illustrium imaginibus virorum ornatam. Magistri gradum pro meritis in Ordine tenuit, atque in Universitate Mexicanae Doctorem in Theologia creatus, pro ejusdem Cathedris aliquando, obedientiâ duce, certavit Prælectionibus, quas audivimus, cruditissimis, sive Philosophica cœnertibus, sive Theologica; & porro obtinisset, ni candidatam ulterius agere detrectasset, cum sibi per Superiores licuit receptui canere. Ingenio & studio comparatus ad plura & gravia, in maximis Theatris plures habuit conciones, & in S. Inquisitionis Officio Censor Theologus negotijs extricandis incubuit, Cenobium Regium

Mexiceum Augustinianum Prior rexit, in quo haud absimilia monumenta reliquit his quæ in Pauliano Musæo posuerat. Comitijs Provincialibus quandoque præfuit, & Provinciam ipsam, cujus inter Definidores adscriptus fuerat, Rector administravit, dignus qui majora gereret munera. Plurimi à gravissimis viris habitus fuit, quos inter nominamus Illmum. D. D. Fr. Josephum de Lanciego & Eguilaz, Archiepiscopum Mexicanum, qui pro eximio quo flagrabat commissarum sibi ovium salutis zelo, libros aliquot conscribi voluerat de rebus Indicis à tribus Doctoribus, è quibus Nostrium destinaverat unum, qui ut alij, morte dilectissimi Præfulis quo minus aggredierentur opera fuere impediti. Tandem, vitâ ut religiosum decet virum exactâ, diurnâ licet ægritudine divexatus, vegeto erat & valente pro studijs capite, 74 annos dimensus, donec 12. Julij 1752. Sacramentis obarmatus ceterisque Ecclesiæ præsidijs diem clausit extremum. Funeri ejus religiosi omnes Ordines interfuere unâ cum Senatu Academico & Proto-Parentis D. Petri Clericorum Congregatione, cui jam pridem adscriptus fuerat. Edidit hispano sermone

*Deprecationem pro terræmotibus, conflagrationibus, & incommodâ valetudine arcendis, nomine Provincie SS. Nominis JESU Augustiniana, Imagini Deiparentis Virginis Guada-*

*dalupia factam*. Mexici, typis Francisci de Ribera Calderon 1712. in quarto.

*Altare novum S. Joanni à Cruce Carmelitarum Excalceatorum Patri dicatum*. Extat pag. 372. in libro *Secunda quintadecima Januarij Mexicana*, edito Mexici, apud Josephum Bernardum de Hogal 1730. in quarto.

*Transitus corporis solaris expensis in magni Parentis S. Augustini Corporis invitione, aperta ritè, & solemnissimè celebrata*. Mexici, ex Officina Josephi Bernardi de Hogal 1729. in quarto. Extat t. 4 Coll. nostrè.

Multas inter opera Mss. Concioniones habet,

*Praelectiones & Tractatus Philosophicos & Theologicos*,

Quos inter caput effert quem scripsit

*De Beatissimâ Virgine Maria.*

† 234 FR. ANTONIUS DE BAHOS, Natione Hispanus, in Belmontio natus, Prædicatorum Ordini in Conventu SS. V. Complutensi habitu suscepto, & emissâ professione, se dedit: Inde in Provinciam S. Vincentij de Chiapa & Goatemala delatus, magna in ea perfectionis religiosæ & litterarum effloruit laude, cujus apud Sodales haberi hispanâ linguâ confectos,

*Sermones varios,*

Fidem nobis ijdem fecere litteris ad nos datis, addentes nesciri quot ex illis confici possent tomi, quod multos inter Religiosos dispersi fuerint.

† 235 D. ANTONIUS DE BELVIS, Mexicanus Domicilio tantum an eriam incunabilis fuerit, ambiguum nobis est: Doctorem ipsum appellat D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis, editionis novissimæ Madritanæ tom. 2. col. 815. testaturque edidisse opusculum in quarto propugnandi ergo

*Epistolam Pastoralem encyclicam à V. D. Palafox Episcopo Angelopolitano typis commissam anno 1642 in quarto ad Parochos in primis Tlascalenses, Tepeacenses aliosque suæ Diocesis,*

Quam encyclicam oppugnaverat F. Ludovicus de Orduña, Dominicanus: Et hunc quidem Noster scripto petit eo potissimum collimante, ut acta ab Illmō. Angelopoleos Præfule in Clericis advocante Parochias ab Religiosis administratas, bono in lumine posita, vindicaret, historiarque ad amusum reducat.

† 236 D. ANTONIUS DE BONILLA GODINES, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, in Collegio SS. Petri & Joannis Latinis, Philosophicis & Theologicis litteris eruditus, Cathedras Philosophiæ rexit & Moralis Theologiæ: Inde Parochijs Curio destinatus successive varijs, Tepeaca eodem fungens munere obiit, reliquit que editam pridem à se habitam Orationem latinam, hocce titulo prænotatam.

*Funebris ad posthumam parentationem laudatio, quam Regalis SS.*

*AA.*

*AA. Petri & Joannis Angelopolitana Academia sacravit cineribus Illmi. Rmi. atque Excmi. D. D. Didaci Oforio de Escobar & Llamas, ejusdem Patroni & Antistitis dilectissimi.* Angelopoli, ex Theca & Graphiario Viduæ Joannis à Borgia & Gandia 1674. in quarto. Scripsit

*Cursum Philosophiæ ad mentem PP. Thomistarum,*  
Et

*Tractationes theologicas morales,*  
Quarum exemplaria credimus à gentilibus suis servari.

† 237 FR. ANTONIUS A S. BONAVENTURA, cujus Natio & Patria nos latent, Mexicanus ut minimum Domicilio, Collegij Apostolici Queretarenfis Franciscanorum de Propaganda Fide, Guardianus, scripsit idioma hispano

*Diarium seu Ephemerides itineris à flumine, qui Magnus audit, versus Aquilonem in Nova Hispania ad terminos usque Tequarum: vulgo Tejas: Describuntur in eo cum telluris amenitas & feracitas, tum etiam Natio, que illam incolunt, varietas, & alia ab Authore illustrata.* Mss vidimus, & forte fortuna distracti, Bibliothecam aut Tabularium ubi opus deteximus, in adversaria retulimus minime.

† 238 F. ANTONIUS DE BRIONES, Natione Hispanus, cujus nos latet Patria, è Provincia Ordinis Minorum Burgensi, quo tempore Theologiæ addiscendæ operam dabat, in Provinciam Or-

dinis ejusdem Zacatecanorum traiecit, in qua demum absolutis scholæ curriculum, Ecclesiastes Emeritus, Notarius Apostolicus, Conventus Urbis Potofinç Guardianus, alijsque muneribus clarus, ad clavum etiam fedit, & Censoris Theologi à Fidei Quæsitibus Mexicanis titulum habuit. Typis dedit hispana lingua à se dictam è suggestu

*Orationem Funebrem justis D. Mariae de Uresti.* Mexici, apud Hæredes Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1727. in quarto.

† 239 D. ANTONIUS DE CARDENAS ET SALAZAR, Mexicanus equidem Domicilio, & Goaxacensis munere, cujus nos fugiunt Natio & Patria, Archidiaconum egit Antequerensem, in memorato nuper de Goaxaca Valle Diocesis Visitatoris munere insignis, & Doctoratus insulâ, edidit que idioma hispano,

*Juris allegationem in negotio Parochiarum administrationis à Regularibus cum Seminario Collegio decertantibus.* In folio, tacitis anno & Typographo pro antiquorum in hisce more.

† 240 D. D. ANTONIUS CARDOSO ET COMPARAN, Natione Mexicanus, Vallisoleti Michoacansium genitus, ibidemque apud Societatis JESU Gymnasia Latinis litteris eruditus, Mexici majoribus studijs incubuit. Philosophiâ hausit ab optimo multisque nominibus claro D. P. Petro Fernandez Zorrilla, ejus Facultatis in

Collegio Maximo Societatis JESU Professore, laureâque Academicâ redimitus, præcipuâ inter coetaneos laude, in Theologorum album exceptus, strenuam huic scientiâ operam dedit cum in Aulis Universitatis, tum etiam in Academia S. Philippi Neri, quam diu frequentavit, scholasticis, moralibus, oratorijs, & amcenioribus exercitationibus sic intentus, ut nomen sibi apud sapientes viros pepererit, Doctoratusque apicem tulerit. Conciones haud vulgari plausu habuit, sacras confessiones excepit, Cathedrasque petivit. Apud Tridentinum Seminarium Collegium Mexicum inuito de more pro suggestu Philosophiâ regendo concursu, solitisque præmissis scholarum concertationibus, Moderator renunciatus, triennium in ea adornanda sparta reposuit. Patrios ubi lares repetijt, multi ab Illmô. Michoacanensium Præsule ceterisque viris perdoctis habitus, ad Paræcias expetitus regendas, insignem tenuit Urbis S. Ludovici Potosini, quæ primarias inter Regni censetur. Huic jam pridem obeundo muneri deditus, etiamnum incumbit, agrâ licet valetudine divexatus, qua ut liberetur, D. O. M. pro antiquâ nostra amicitia & consuetudine deprecamur. Scripsit

*Cursum Philosophicum 3. aut 4. romis distinctum.* in quarto,

Cujus apud Discipulos ejus sunt exemplaria.

*Prelectiones Philosophicas & Theologicas varias.*

Hispanicè autem

*Poeticam pro recens nato JESU Academico ritu laudando concertationem, dato varibus symbolo.*

*Sermones panegyricos & morales.*

Authographa apud ipsum credimus aservari.

241 M. F. ANTONIUS CASSIMIRO DE MONTENEGRO, Natione Mexicanus, primam Mexici lucem aspexit, & primis litterarum ac Latinitatis rudimentis instructus in Regio S. Joannis Lateranensi Collegio, quod já inde ante annum 1549 in fundo Lateranensis Ecclesiæ, quæ Mater est omnium Urbis & Orbis, constructum fuit, eximijisque privilegijs munitum, cum ab Apostolica Sede, tum etiam à Catholicis Hispaniarum Regibus, qui pro victoribus sumptus adhuc usque ministrant: Inde clarissimum Ordinem Prædicatorum quæsit, in quo fausto quidem Parentis sanctissimi fidere effulgentem professus, studijs traditus Artium atque Theosophiæ, utraq; familiarem sibi Facultatem tam fecit, ut suo à Superioribus tempore destinatus Lector eorumdem, non perfunctoriè docuerit discipulos. Sacris insimul pro suo Instituto concionibus & se exercere, & prodesse auditoribus haud omisit, doctrina ad id muneris etiam, ceterisque talentis ornatus. In Civitatem Guadalaxarensis, Noxæ Galliciæ amplif-

plissimi Regni potiorum, obedientia duce profectus, Magister datus est & Director illustri non ita pridem erecto in Dominicanorum Cœnobio Tertij eorundem Ordinis & Christi Militiæ Sodalitio, cujus officij partes ut impleret numeris omnibus, multis è superiori loco Sermonibus hortationibusque egit doctis & fervidis, nec pias alias prætermisit exercitationes, quibus demandatos sibi filios instrueret, Ordinemque illustraret. Hinc in caelos abeunte, ut pium est credere, ejusdem Sodalitatis Priore Venerabili viro sæculari Præsbytero Joanne Gonzalez de Villa-Verde, Mexicano, qui primus id munus obierat, justa ei ut solennissimè agerentur curavit, honorarium poematibus tumulum à hispanis & latinis instruxit, Orationemque habuit eruditam & doctam, virtutes emortui Sacerdotis complexam, quam hocce donatam titulo typis obtulit.

*Moyse Dominicanus V. P. & Præsbyter D. Joannes Gonzalez de Villa-Verde primus admodum Venerabilis Tertij Ordinis & Christi Militiæ S. P. N. Dominici Prior: Oratio habita coram Regio Auditorio Guadalaxarensi, Nobilitate ejusdem Civitatis Senatu, atque religiosi Familij, in Prædicatorum Templum confluentibus honoris ergo viri, quem viventem omnes suspexerant.* Mexici ex Typographia Josephi Bernardi de Hogal 1735 in quarto. Extat t. 56. Collect. nostræ.

Ediderat ante duos annos alteram à se dictam Concionem, funebrem in Exequijs ductis admodum R. M. Josephæ Mariæ à Christo, Carmelitæ Excalceatæ Cœnobij à S. Josepho Granatenfis, ab ejusdem nepote D. D. Josepho Messia de la Zerda & Vargas, Consiliario Regio, Auditorque Guadalaxarensi, cui titulum fecit Lamentationi

*Judith Religiosa.* Mexici, formis Hæredum Francisci de Lupercio 1733. in quarto.

Ediderat icidem habitam à se Panegyrim

*In Canonizatione S. Joannis à Cruce, apud Excalceatas Virginis Carmelitanas Guadalaxarenses solennissimè celebratâ.* Mexici, in Chalcographia H. Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1729, in quarto. Et habetur in Libro ejus Argumenti conscripto à D. D. Lucas de las Casas, mox dictis formis & anno excusso. Habet etiam Mss Sermones plures.

242 F. ANTONIUS CASTRILLON, Natione Mexicanus, ortus est Zamoræ Villa apud Michoacanenses illustri, Mexicumque translatus ut studijs vacaret, apud Regale S. Ildefonsi Collegium, ejusdem cohonestatus trabecâ tandem substituit, quo usque factis multis in Philologia & Theologia progressibus laurcas sibi Academicas meruit. Sectatus Ordinem Seraphicum in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensis, sacro deditus indefesse